

nos vereri, arma, quæ in Insubribus cogeantur, suspecta habere, quoniam Gallorum consilia tenderent sollicitari, hinc Fuentano inde Laodigherio armatis septus. In hac rerum ambiguitate quantas maximas potest copias cogit, Gallorumque amicitiam potius amplexurus videbatur, atque eo facilius, si consiliorum focios alios Principes nactus esset. Condæus vero, Henrici morte audita, statim Mediolano discedens, per Belgium in Galliam proficiscitur; promissisque Reginæ illæ, nihil novaturum plerique affirmabant: dum contra alii vererentur, ne odio in Henricum actus, novos in Gallia motus cieret. Veneti vero, ne Italica quies perturbaretur, solliciti, conjunctis cum Pontifice consiliis, summo studio nitentur. Pontifex Internuncios jam electos iter maturare jubet. Rivarolæ in Galliam proficiscenti Henrici obitum dolere, novi Regis successionem gratulari, quæcumque ad regni concordiam ac stabilitatem proficisci possint, deferre præcipit.

*Condæus
Princeps in
Galliam
redit.*

Dum hæc geruntur, citatis nuntiis Mediolanum rumor affertur, Gallorum copias in Delfinatu atque Allobrogum finibus augeri, Sabaudum maximum numerum militum cogere, jamque Esiliam Gallos pervenisse. Itaque intempesta nocte a Fuentano, gravissimo morbo adhuc implicito, concilium advocatur: ut statim, quæ in Insubribus copiae sint, cogantur, decernitur; quadraginta aureorum millia Italorum peditum ducibus persolvuntur; externi milites evocantur; brevique ad triginta peditum, quatuor equitum millia in Insubribus fore Fuentanus jactabat; quæ licet ad Mediolani ditiones tuendas comparari divulgaret, ea tamen in Sabaudum destinari plerique arbitrabantur: multaque in illum ab Hispanis probra jaciebantur: Jam illius consilia patere, quo animo in Philippum fororium sit, constare: indignum tanto Rege esse, si inultas injurias patiatur, nisi de Sabauda, quem innumeris beneficiis affecerat, debitas poenas sumat. Neque deerant, qui statim in Subalpinos invadendum inclamarent: dum alii contra non ira, sed prudentia experiendum suaderent, potiusque cum Carolo leniter, quam acerbè agendum existimarent, Hispanorum genio ad patientiam durato, haud difficulter generosum Principem in suas partes attrahi posse.

*Hispanorum
bellici ap-
paratus, &
in Allobro-
gem Ducem
mina.*

Ca-